

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 98. (Neovidensis 1807. Nro. 98.)

Colloquium Politicum Vita functorum.

Elysiūm Meim. - Die Veneris. 18. Dec. 1807. (Neov. 4. Dec.)

— Urit grata protervitas
Et vultus nimium lubricus aspici.

Horat.

Colloquentes Umbrae.

Druidae, Calchas, et alii.

T*riphone.* Prodi sis foras, barbata senex!
Druida Celta! & tu abominabilis Calcha!
olim augur in Castris Græcorum pro Trojæ
mœnibus! delicta vestra meritam pœnam re-
cipient; dies advenit vindictæ, & ultionis.

Druida. Heu! eheu! caput! latera! ocu-
li! aures! & post, — —! veniam! veniam!
supplex oro, exoro Dominæ!

Calchas. Duas sentio viperas oculos exe-
dentes meos.

Druida. Lethifer Anguis illa infestat mea;
perii! disperii!

Calchas. Despero! an iccirco luminibus
restitui debeo, ut rursus ab angue venenata
exedantur?

Druida. Num propterea cutis quotidie re-
novari debet mea, ut eadem frustulatim col-
labatur? Heu mihi! — quantos dolores senti o!

Tisiphone. Hi tibi documento deinceps erunt. Druida vilissime! ne in futurum inanem parasitorum plantam, quam *mespulam quercinam* vocant, pro medicina universali vendites; quid ergo jam? An adhuc animum habes, Deo tuo *Teuto* virgines, tenerosque pueros immolandi? an adhuc tibi mens, & cupido eas inter tiliarum, & tympanorum *Concentus assandi*?

Druida. Nunquam; heu nunquam, potens Domina! O! quæso: sciatillam saltem misericordiae!

Tisiphone. Hanc tu nunquam exeruisti; agite alacriter viperæ! adhuc istum indite sacro doloso huic *Mystæ*!

Aleto. Hunc *Calchantem* stipitibus sudibusque probe & egregie pulsate; qui truci vultu graditur, crinibusque passis minaci nos exceptit torva, & tetrica fronte!

Calchas. Heu! capillus seriatim & vicissim mihi evellitur! raptor, trahor, jugulor, decorior, dilanior miser!

Aleto. Improbum, *Scelestum* caput! an postmodum rursum teneras virgines sacrificabis, in vicem eas desponsandi & elocandi? & haec omnia obtinendi, placandi *Cœlum* gratia.

Calchas & Druida. O! quantus cruciatus, quantus dolor! & tamen nondum mori posse!

Aleto & Tisiphone. Tacete! videor audire concentus musicos; superi propitii adeste nobis! an non *Orpheus*? viperæ ut agneli mitescunt nostræ!

Calchas. Dolores mei minuuntur subito
— proh! rem raram!

Druida. Recreor quantus quantus sum!
quanta vis Musices? quisquis es divusne, an
homo, si rogare fas est, qui lyra vulnera sa-
nas, qui inferos sonis permulces.

Orpheus. Fratres! Poeta sum, vates ut
vos; at nullo unquam tempore malum exem-
plum dedi juventuti; nunquam res sacras in
theatrum & in scenam produxi; Dum sura
adhuc vitali vescerer, commiscebar, & ceci-
ni de reverentia, grato animo, amore in De-
os, nisus omnimode; ut mores hominum ex-
colantur, quos vos postmodum feros & cru-
dos reddidistis; eadem in his sedibus mea est
functio, nuper admodum duos lineidi in poe-
tas, qui inclementer flagris virgisque caesi et
pulsati; alter eorum drammatum auctor fuit,
quae nullum moralem finem respiciebant, al-
ter ludibrio exposuit virtutem; ceremoniasque
religiosas in scenam produxit; miserebar ip-
sorum, lyramque apprehendens tormentis,
quibus adficiebantur, doloribusque, quos pa-
tiebantur, finem feci. ... Contra polliceban-
tur mihi, se, ubi in vitam redeundi veniam
obtinerint, argumenti modestiae pleni dram-
mata edituros.

Druida & Calchas. Idipsum est, quod ti-
bi nuncupamus; fidem vatum obtestamur. ...

Orpheus. Defero ei ... verum ... dici so-
let: si funis ruptus, fur se liberum existimat,
et itur in antiquam ... nostis cetera ...

Haec inter comparuit ex mundo superiore Divorum Caduceator *Mercurius*; et adstantibus umbris sequentia nova exhibuit.

Londino die 12. Nov. Rursus trinae expeditiones, quarum finis ignoratur adparatae sunt: una earum 12 naves de linea pro committiva, et subsidiaria ope, habitura dicitur.

Die 30. Octobris ad portum *Jazmuthum* adpulit Comes *Lilliae*; videtur eotum solum recipiendus, ubi privatus absque omni honoris titulo in publicum prodierit. — Legatus Americanus *M. vroe* die 30. Oct. reapse discessit.

Paulo post universam Europam Anglia obsidione tenebit; die 4. h. m. in habito per Regem Consilio status solennis belli declaratio adversus Daniam, prout & Hetruriam, Neapolim, Ragusam, Rempublicam olim 7 Insularum, generatim adversus omnes portus et loca maris mediterranei, quae imperio Gallicae, aut ejus foederatorum parent, decreta et definita est. In primordio primae declarationis, quae ceterum usitato in scribendi genere scripta, haec verba leguntur:

„Quoniam Rex Daniae *Manifestum* belli adversus Suam Majestatem, ejusdemque subditos, populumque edidisset, atque omnes conatus Suae Majestatis ad revocationem hujus *Manifesti*, & pacis conclusionem obtinendam frustrati effectu fuerint, idcirco Sua Majestas auditis Collegii Status sui consilii praecipere dignata est: ut universim *repressaliae* adversus omnes naves, bona & subditos Daniae Regis (exceptis iis navibus, quibus

a Sua Majestate Litterae liberi comneatus concessae, aut quae eo destinatae, ut ab *Interdicto*, quo adfectae erant, liberentur, neque ad ullum adhuc portum extraneum adpulerent) indultae et admissae habeantur.

Altera Belli declaratio his verbis oritur: Cum Gallia per vim, et potentiam diversis conditionibus et portibus in mari mediterraneo et Archipelago potiatur, subrutisque et everis, quae haecenus vigerunt, regiminis formis, novas induxerit, suae sub auctoritatis praesidio ad deducenda in effectum hostilia adversus proprietatem, Commercium et navigationem subditorum Suae Majestatis molimina conferunt operam, cumque in horum sequelam plura laedentia, et bene firmata Suae Majestatis Jura, prout et rationes status Regni sui violantia, facta locum habuerint, Idcirco Sua Majestas, auditis secretioris Collegii sui consiliis praecipere dignata est; ut &c.

Parisiis die 29. Nov. Hodierno Monitore continentur relationes de solennibus, a Senatu heri Turmae praetoriana editis (de quibus paullo infra uberius)

Die 20. h. m. Gen. D. *Dupont*, qui secundo speculatorio exercitui supremo cum imperio praeest, *Bajonnam* adpulit.

Imperator iter Italicum per montem *Cenis* suscepit; ob copiam nivis, qua jugum isthoc hac anni parte jam tegebatur, carpento promoveri nullo modo potuit; Imperator aliquot horis in *Hospitium* dicta statione quieti se dabat; rhedarum una, qua comitantes veheban-

tur, cuique muli injuncti, inter nives periit, die 20. vesperi Imperator Turinum venit, unde mutatis equis iter mox Mediolanum continuavit.

Ulyripont 11. Nov. Hesterno duae lineales Russiae, cum duabus mediae molis Corcyra venientes, hujatem portum ingressae sunt; binae quoque mercatoriae Portugallicae, altera ex Promontorio viridi, altera Brasilia veniens isthuc adpulere, postquam pervestigatae fuissent. Adventu harum navium anxietas rumoresque, qui percrebuere, quae Angli hostilia adversus Portugalliam agitant, potissima ex parte desierunt.

Mediolano die 20. Nov. Plura gallicana agmina, quae hactenus in Regno Hetruriae stationem habebant, perhibentibus publicis paginis Romam proficisci jussa sunt. Diversae naves bellicae Russiae Portum Ferrariensem securitatis adversus procellammaris, aquaeque recentis, commeatusque acquirendi gratia, subiverunt.

Mantuanus Episcopus *C. a Pergen* aetatis anno 87, regiminis Ecclesiae suae 38 supremum diem obiit. — Tertium agmen legionis Isenburgicae, quod Neapolim expectabatur, ibidem perhibentibus de 10 h. m. nunciis advenit.

Norimberga die 28. Nov. In primario hospitio Byruthi sub 19 h. m. ab Generali Governatore Provinciae *Jussum* in argumento intertentionis copiarum in prov. Byruth. stationem habentium, & ad magnum exercitum

pertinentium, editum est; vigore cujus: Officialis militaris mensa hospitis sui, gregarius, portione, ut dici solet, campestri contentus esse debet. --- In nova arce Byruthina Commissio militaris erecta est, ad investiganda quaevis, ex parte militiae, & Incolarum, gravamina. Constitabit ea 3 membris ex Collegio bellico et Domaniorum binis a D. Gen. Locumtenente a *Deroy* denominandis militaribus officialibus et Adjutore Domini Gen. provincialis Gubernatoris, qui sibi Praefecturam urbis Byruthinae exclusive reservat.

Parisiis die 30 Nov. Monitor sub hodierno multa cum laude meminit Concordiae et animorum Unionis, decori, et unanimi, qua *Conventus electionum* animabantur, eosque comparat cum turbulentis, plerumque et streperis Anglicanis Parlamentariis electionibus, nonnulla adjuncta propiora de Conventu in Districtu Sequanae celebrato adfert, cui Centenario proximus Archi Episcopus Parisiensis rara aetati huic attentione et alacritate praesidebat.

Duellum contra principia Cl. Gall.

Sicete obsecro tandem aliquando mei Domini! dicebat moribus gravis vir in Theatro Parisiis aliquot juvenibus, qui, juxta sedebant et obstrepebant; hoc admonitu unus eorum offensum se, laesumque existimabat, admonentem ad pugnam evocat; ventum ad locum constitutum caedis, protrahuntur pugiones, exploratur eorum acies, an sat acuta foret, tum Juvenis pugil ajebat: Dominationi tuae nequaquam animus congregandi esse potest; quid? quam

quamobrem? reponit adversarius; veniam oro respondet ille: caput enim D. V. examinavi, non *protuberat*, proin organo animositatis caret, nugae nugarum! reddit is; attendat Dominatio sibi; deventum est ad manus et --- Juvenasta saucius sternitur; deportatur domum, aliquotque post diebus primum a vulnere et doctrina Galli resanatur. *Verissima historia* (Gazette de Paris).

B I O G R A P H I A

Calchas. Thesoris filius. Venerationis et experientiae plenus augur, Graecorum in expeditione Trojana. Dum Duces in procinctu essent vela dandi ventis Trojamque proficiscendi, in Aulide sacrificarunt. Repente purpureis maculis conspersus Draco advolavit, acervum sub qua victima fuit; conscendit, in ramis octo aviculas cum matre devoravit, dein in lapidem versus. Calchas perspicaci ingenio suo isthoc signum novennis Trojae obsidionis esse interpretatus est. Eadem sagacitate causam irae Apollinis pestiferam luem in Castra Graecorum mittentis, detexit: quod Agamemnon captam Chryseidem patri, qui Apollinis Sacerdos fuit, reddere cunctabatur. Consilii de Equo ligneo, quo urbs capta, struendo auctor. Aeneae quoque: Regnum in Italia conditurum; praenunciasse dicitur.